

SACRA ROMANA ROTA

Nullitatis matrimonii ex simulatione totali ob amoris defectum

(Coram R. P. D. IOSEPHO M. PINTO)

Sententia definitiva diei 30 iulii 1969.

I.—FACTI SPECIES

1) M. de las N. P., suae aetatis vigesimum annum tunc agens, in civitate cui nomen P. de M. domum paternam inhabitans, hispanico bello saeviente, italicum militem A. P. quadam die obvium habuit qui haud sero ipsi matrimonium proposuit.

Protracta ad annum plus minusve amoris consuetudine, obstantibus mulieris parentibus qui ad matrimonium vitandum nihil immotum reliquere, die tandem 2 martii 1939 nuptiae celebratae sunt.

Quamvis tribus filiis coniuges donarentur, communis vita ita ingrata fuit ut anno 1949 unus ab altero definitive discesserit. Quam separationem civilis auctoritas anno 1957 ratam habuit.

Die 30 septembris 1963 mulier declarationem nullitatis sui matrimonii a Tribunali ecclesiastico B. sollicitavit, ex capite simulationis totalis consensus ex parte mulieris. At sententia primae instantiae diei 19 maii 1967 declaravit non constare de matrimonii nullitate.

Interposita ab actrice appellatione apud N. S. T., concordato dubio die 9 ianuarii 1969, causa hodie in secunda instantia definienda proponitur sub consueta dubii formula:

An constet de Nullitate Matrimonii, in casu

II.—IN IURE

2) Matrimonium facit partium consensus, seu actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius perpetuum et exclusivum ad actus per se aptos ad prolis generationem (can. 1081. Cfr. Concilium Vatic. II, Const. Gaudium et spes, n. 48).

Qui cum matrimonium celebrat verba aut signa consensum exprimentia serio ac rite profert, dum intus matrimonium ipsum positivo voluntatis actu

excludit, invalide contrahit deficiente matrimoniali consensu peractaque totali simulatione ipsius (can. 1086, § 2).

3) Id quod communiter ad matrimonium ducit est illa naturalis inclinatio unius sexus ad alterum quae passim amor nuncupatur, quaeque aliquando usque ad culmina verae amicitiae, immo divinae caritatis alis fertur, aliquando vero inter angustos muros merae sensibilitatis captiva detinetur, vel usque ad carnalis passionis ima degradatur.

Ad plene obtinendos matrimonii fines verae amicitiae amor omnino requiritur. Concilium Vaticanum II coniugalis amoris momentum summopere extollit ita ut matrimonium tanquam societatem illius veri amoris plane consideret (Const. cit., n. 47 ss.).

At quia amoris defectus matrimonialem consensum per se non impedit, nec contrahentem omnino incapacem ad matrimonii fines obtinendos saltem essentialiter reddit, nec repugnat ut, peracto coniugio, nato amore suppleatur, numquam hucusque ius elementum hoc psychologicum amoris ad validitatem requisivit. Neque hoc a Concilio Vaticano II immutatum fuit. Nam, neque in textu definitivo, neque in schematibus praevis, neque in relationibus atque in perpensione modorum a Commissione peractis asseritur amorem matrimonialis foederis elementum essenziale esse, quo deficiente vel positive excluso, matrimonium irritum evadat. E contra, in Adnexo II, de amore haec leguntur: "Validitas vero consensus indeque ipsius matrimonii non dependet a particulari gradu perfectionis istius amoris, dummodo consensus sit liber nec positive excludatur unitas, indissolubilitas vel fecunditas" (Adnexum II, pag. 15. Cfr. etiam Modi generales, 1, b, et Relatio ad Schema Receptum, pag. 61; necnon U. Navarrete, *Structura iuridica matrimonii secundum Concilium Vaticanum II*, in *Periodica*, 1968, pagg. 169-216 atque P. Fedele, "L'ordinatio ad prolem" e i fini del matrimonio con particolare riferimento alla costituzione "Gaudium et spes" del Concilio Vaticano II, in *Ephemerides I. C.*, 1967, pag. 62 ss.; L'Enciclica "Humanae Vitae" e l'essenza del matrimonio canonico, in *Ephemerides iuris canonici*, 1968, pag. 223 ss.).

Igitur, qui matrimonium contrahit non amore ductus sed ut liberetur ab iniusta condicione cui in paterna domo subiicitur, dummodo nec matrimonium ipsum, nec ius ad actus vere coniugales, nec essentielles matrimonii proprietates positivo voluntatis actu excludat, verum matrimonium contrahit, quin matrimonialem consensum ullo pacto simulet.

4) Totalis simulatio directe demonstratur cum ex depositionibus fide dignis constat contrahentem in matrimoniali caeremonia peragenda, actuali vel virtuali voluntatis actu matrimonium ipsum exclusisse, quatenus tempore non suspecto hoc clare testibus manifestavit (Confessio).

Indirecte vero simulatio illa demonstratur cum comprobatur contrahentem habuisse causam in sua aestimatione sufficientem ad simulandum, simulque simulatio circumstantiis sive antecedentibus sive concomitantibus sive subsequentibus confirmatur.

Non confundenda est causa contrahendi cum causa simulandi. Qui ad matrimonium convolat ut ab iniqua tractatione quam in paterna domo recipit sese liberet, metu plerumque indirecto ad contrahendum, non vero ad simulandum ducitur, nam verum matrimonium ad optatam libertatem inveniendam aptissimum medium esse valet. Tunc tantum metus qui rationis usum non adimat simulationem indirecte causare potest cum metum passus ita matrimonio contrahendo aversus est ut dum coacte nubit excludit consensum (cfr. coram Wynen, Romana, 22 ianuarii 1944, n. 2).

Directa et indirecta demonstratio ita inter se coniunguntur ut una sine alia vix plenam probationem efficere potest.

III.—IN FACTO

5) Contendit actrix se matrimonialem consensum totaliter simulavisse eo quod “contrassi (il matrimonio) spinta esclusivamente da un’ansia, quasi ossessiva, di uscire da una situazione familiare di irritante schiavitù che non potevo più sopportare, dovuta sopra tutto al carattere di mia madre”. “Giuro dinanzi a Dio e sui miei figli... che tutti i miei atti furono guidati per liberarmi dalla tutela di mia madre e che mai, neppure da sposata, nelle mie relazioni con il P. ho saputo che cosa era l’amore. Mi sono aggrappata a lui come all’unica salvezza intravista nella mia triste situazione”.

At in sua depositione coram Tribunali, cum interrogaretur a iudice: “Quando pronunziò il “sì” matrimoniale, ebbe l’impressione che stava ingannando suo marito?”, respondit: “No. Mi è impossibile definire l’impressione intima di quel momento; ero persuasa che il matrimonio fosse valido. In quel momento non pensai che ad uscire da casa ed essere una buona moglie”.

Et cum iudex insisteret: “Se può, ci spieghi a modo suo, come legge nella sua coscienza, in che modo si può conciliare la sua convinzione che il matrimonio era valido, con l’affermazione che in realtà non volle sposarsi”, sic actrix locuta est: “La verità è che in momento non pensavo a queste cose ma soltanto ero terribilmente esaurita perchè desideravo andarmene da casa. Al momento del matrimonio provavo un senso di gioia perchè mi liberavo dalla famiglia”.

Ex his verbis evidenter patet actricem matrimonium ipsum non exclusisse seu totalem consensus simulationem minime patrasse, nam qui persuasus est se validum matrimonium contrahere et voluntatem habet conjugales obligationes adimplendi, praecise ut bonus coniux sit, non potest simul matrimonium excludere. “Vera fictio consensus ignorari nequit ab eo, qui hoc delictum committit, quippe qui positivum voluntatis actum contrarium ponere debet, ut destruat effectum verborum consensum matrimonialem exprimentium. Qui proinde in iudicio sibi adscribit simulationem consensus, is necessario in contrahendo sibi conscius esse debuit suae fictionis; secus nunc fingit, non vero prius” (coram Wynen, 6 februarii 1936, n. 3). De consensu simulato nullus testis scivit.

6) *Causa matrimonium contrahendi*, iuxta actricem, non fuit amor, sed unice ansia sese liberandi a terribili domestica vita, sicuti iam supra vidimus. Ad hoc ipsi nulla alia patebat via.

Actrice narrante, vita eius tristissima fuit. Vix nata, longe a domo, nutrici cuidam commissa est usque ad quintum aetatis annum. Tunc ab illa quam matrem putabat quamque ut matrem diligebat avulsa fuit ut ad suos genitores hucusque ignotos rediret.

Matrem negotiis occupatam raro videbat, at semper ingenti cum terrore eo quod severa ac frigida semper appareret, prompta ad puniendum ob pueriles nugae etiam.

Hoc modo timidissima crevit quin solacium inveniret, nec in amicis haud sibi permissis, nec in fratribus frequenter sibi ob invidiam infensis. Unicus amans pater illi favebat. Circa hanc durissimam conditionem plures concordant. His in adiunctis, militem A. P. obviam habuit qui interesse erga illam demonstravit et eam visitare voluit, licentia ab illius patre obtenta.

Tanquam *causam simulandi* actrix proponit se conventum parum cognovisse nec unquam amasse. Prima illius impressio ita ab actrice describitur: "Mi vergognavo del modo eccentrico con cui vestiva ed era molto orgoglioso di se". Rarissimo soli loqui potuerunt, nam solummodo ipsis, matre semper adstante, brevis atque amicabilis conversatio sinebatur, quod tamen minime obstitit quominus candida puella a convento, dolo adhibito, defloraretur.

Nihilominus, en quomodo matrimonium propositum ipsa viderit: "Nella mia immaginazione si era formata l'illusione che, col matrimonio, sarei potuta partire da casa e terminare così il tormento della tutela di mia madre... Tutto ciò mi fece accettare quella proposta senza pensare ad altro che a salvarmi e senza avere la minima idea di che cosa fosse l'amore".

Ergo, licet amoris defectus totalem consensus simulationem de se causare possit, in casu, praedictum effectum minime habuit eo quod erga matrimonium nullam aversionem haberet actrix, quae e contra in illi unicum portam sibi apertam videbat ad durissimam matrem fugiendam. Atque in hac fugiendi ansia causa contrahendi reponenda est.

7) *Testes* non omnino concordant in assignanda causa qua actrix ad nubendum ducta fuerit.

Duo testes, nempe R. P. H. H. atque C. G., tradunt exclusive ad libertatem quaerendam actricem nupsisse, at illi solummodo referunt quae ab ipsa iam separata plus minusve recenter audivere.

Maior pars, licet admittat actricem nupsisse ad libertatem quaerendam, illius amorem erga conventum non excludit. Ita Illius amicae A. V., A. C., Ae. B., actricis frater A., vicinus B. A., necnon actricis filia A. M., quae hoc ab aliis audivit.

Alii e contra, et quidem praecipui testes dicunt actricem ob amorem nupsisse et aliam causam vel excludunt vel ignorant.

Audiatur imprimis religiosa A. de la S., actricis consobrina, quae cum illa vivebat atque illius secreta audiebat ab ipsa: "Si fidanzò col P. libera-

mente ed io notai che almeno al principio dimostravano tra loro molto affetto... Non mi risulta che la madre rendesse a N. intollerabile la vita; però è vero che la mamma di N. era un pò strana con tutti... Non mi risulta che fosse influenzata dal desiderio di liberarsi dai maltrattamenti che riceveva in famiglia... Da quanto ho veduto, N. era innamorata di P. e volle sposarlo anche contro la volontà della mamma”.

Concordant consobrina M. V. F. atque actricis frater C.

Sunt etiam testes qui tenent actricem ob amorem nupsisse at nesciunt num fugere a domo etiam quaereret. Ita fratres conventi Da. ac Do., atque ipse conventus qui ait: “Dopo il primo incontro le dissi che volevo sposarla, dopo sette o otto mesi. Mi rispose che era d'accordo... Lei era felice del fidanzamento... Eravamo uno innamorato dell'altro. Lo ricordo perfettamente... Il suo amore esisteva”. Similiter R. P. S. E., ex auditu.

Non constat ergo actricem conventum nullimode amasse atque ad suam libertatem quaerendam solummodo nupsisse.

8) *Circumstantiae* improbable omnino reddunt actricem consensum simulasse.

a) Illius genitores nuptiis quammaxime obstitere. Post filiam defloratam, ne iterum caderet, illam inclusam domi habuerunt, atque ab auctoritate obtinuerunt ut conventus in Italiam revocaretur. At actrix, cum litteras a convento acceperit, illius consilium secuta, ad rei bellicae Praepositum italicum scripsit, supplicans ut ob copulam iam habitam, matrimonium permissum fuisset.

b) “Terminata la cerimonia, ait actrix, provai una strana allegrezza ed una pace infinita: ero libera”.

c) Matrimonium, iuxta conventum prima nocte consummatum fuit; iuxta actricem, post quinque vel sex dies eo quod haud bene valeret.

d) Adhuc felix actrix in Italiam perrexit, ibique adhuc libertatis adeptae delicias gustavit. Fuit tantum deinde, cum e gratissimo somno reducta, paulatim detexit quam diversi coniuges ipsi fuerint. Tunc tantum compartis praesumptionem, egoismum atque negligentiam lustravit. Et cum ipsius ab ore didicerit illum multas fefellisse feminas, valde timuit ne et ipsa ab illo deciperetur. Sic vita communis inter dissentiones turbata cucurrit, quin triplici donata prole ad pristinam beatitudinem revocata fuisset. “Per tutte queste circostanze —ait actrix— non riuscii ad amarlo come avevo pensato”. At per decem fere annos numquam uxor maritum relinquere ausa est. Post multas vicissitudines, mense aprilis 1948 Argentinam Rempubliam petiere, ubi novos sibi condidere lares. Desperata tandem muliere propter coniugis infidelitatem illum relinquere decrevit. At oeconomicis angustiis oppressa, ad illum redire coacta est, usque dum anno 1949 definitive ab illo separata fuit.

Patet exinde non propter defectum consensus ex parte uxoris matrimonium naufragasse, sed ob alias omnino causas.

9) Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, decernimus, declaramus ac definitive sententiamus proposito dubio respondententes:

NEGATIVE seu non constare de nullitate matrimonii, in casu.
Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 30 iulii 1969.

ANTONIUS CZAPLA
IOSEPHUS M. PINTO, Ponens
SEBASTIANUS MASALA